



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia XII. Magdalena lauando Christi pedes se lauat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

36 BALDVINI CABILLIAVI LIBER ET.  
Vah! ea simplicitas quām callida! nescia fuci  
Dum fucum expungis, maior adornat honos.

ELEGIA XII.  
MAGDALENA lauando CHRISTI  
pedes se lauat.

PVRIOR argento quā labitur vnda doloris,  
Pellucet liquido candida cura vitro.  
Nimirum nitidis CHRISTVM stat tingere  
lymphis,  
Squallida cui niueos vmbra arena pedes.  
Lene-fluens tacito iam voluitur agmine riuus,  
Voluitur vndoso naufragus amne pudor:  
Sed sine labe pudor, casti qui censor honoris  
Purpureus, mediis pulchrior ardet aquis.  
Cui dolor argenteis purus comes adnatat vndis,  
Puriter ut sancto diluat amne scelus.  
Eia, sat est; lacrymæ, rapidoque fluentia cursu  
Flumina, sat Dominos implicuere pedes.  
Nunc inhibe riuos, linoque bibace tot vndas  
Opprime, linigerā compede stringe pedes.  
Detrahe sollicito quondam data vela pudori,  
Vela verecundas abdere iussa genas.  
Hei mihi! nulla tuo nubes prætexta rubori est,  
Vlla nec impurum substrahit vmbra caput.  
Fallitur, ah, isto qui querit flammea vultu,  
Cui benē nudus Amor lucida flamma micat.  
Sed tibi fit sindon frons, quæ sine sindone prodit.  
O tibi quām solers fit modò textor Amor!  
Cerne, liquens oculus largo quas prodigit imbris,  
Elambit reduces crinis auarus aquas.

Quem-

Quemque rigat fletus, siccatur cincinnus I E S V M,  
 Cincinnus bibulo par modo forma peplo:  
 Qui quoties audis siccatur vestigia cirris;  
 Et toties optas, altera lympha fluat:  
 Et tot eant rursus grauido de lumine guttae,  
 Quot stant fratre come, queis premis vda pedes.  
 Nonne Deum madido dum tergis amica capillo,  
 Teque tuumque lauas squallida nympha caput?  
 Quaque sacro thalamo teter nisi squallor & Orci  
 Fex immunda venis, nix modo munda redit?  
 Nempe Deum tangis, te tangit & ille: niuosos  
 Queis lauis atra pedes, alba lauaris aquis.  
 Sic ubi tu vitreororas aspergine plantas,  
 Spongia fit C H R I S T I pes; tua corda lauat.

## ELEGIA XIII.

*Spongia MAGDALENÆ lacrymis.*

HIC ubi virgato discurrit discolor auro  
 Purpura, & inuitat in sua strata D E V M;  
 Gratuler, inuidemne? pari mens hæret in æstu:  
 Cura biceps bifidis errat ut vnda fretis.  
 Inuidem? & quare? dos dicitur æqua magistro.  
 Gemmantem ille bibit aureus hospes aquam.  
 Gemma manu rorat; it gemma per alta comarū,  
 Et per adhuc teneros oscula ad vda pedes.  
 Gratulor, ô felix! niueis sic pingere baccis  
 Cui datur, & casto tingere rore Deum.  
 Vtque diu tingas, voueo; sed prouida census,  
 Parcius ô oculis vtere Nympha tuis:  
 Neu nimium has lymphas tam rarum prodige  
 munus.

C 5

Parce,